DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE

RECIDIVO SPASMODICO.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30786502

3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ASTHMATE RECIDIVO SPASMODICO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI authoritate et conſenſu,

Ac Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES LAW, HIBERNUS,

Ad diem 10 Auguſti, hora locoque ſolitis.

Quae praeſenti opuſculo deſunt, ſuppleat aetas; non enim differendum eſt tirocinium in ſenectutem; nam quotidie creſcit metus, majuſque fit ſemper, quod auſuri ſumus: Et dum deliberamus quando incipiendum, incipere jam ſerum fit, quare fructum ſtudiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et venia et ſpes eſt et paratus favor et audere non dedecet.

QUINTILIAN.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCLXII.

VIRO ADMODUM ERUDITO,

ROBERTO WHYTT,

MEDICO REGIO;

SOCIETATIS REGIAE LONDINENSIS

ATQUE

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS

SOCIO DIGNISSIMO;

MEDICINAE IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI CELEBERRIMO;

OB INSIGNEM ERGA SE BENEVOLENTIAM,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

D. D. D.

JOANNES LAW.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

ASTHMATE RECIDIVO SPASMODICO.

QUUM pulmo ſit compendium quaſi totius corporis, et omnes aliae functiones huic inniti merito aeſtimentur; non mirandum, ſi ab omni aevo, quodcunque ejus actionem vel laedere vel omnino deſtruere minitetur, totis viribus propellere ſeſe addixerint Medici. Inter innumerabiles fere morbos, qui hoc viſcus afficiunt, non infimum tenet locum Aſthma; quamvis enim mortem non ſemper ſubitam infert, et diu ſaepe tragedias ſuas in corpore ludit, tandem vero, vel inopinata ſuffocatione, vel alios morbos non minus ſeipſo funeſtos inducendo, ſcenam claudere, certa nimis experientia docti ſumus. Quoniam autem et hujus morbi variae ſint ſpecies, quarum ſingulae tractatum ſatis longum merentur, hic no-

tandum eſt, quod tantum de Aſthmate ſpaſmodico hoc loco diſſerere inſtitui.

DEFINITIO. NOMINA.

ASTHMA ſpaſmodicum eſt impedita, ſonora et admodum laborioſa reſpiratio, cum magna anxietate et pectoris agitatione juncta; a conſtrictione bronchiorum orta; noctu praecipue, ſed incertis plerumque intervallis invadens; interdum ſine ulla, et ſemper fere ſine notabili evacuatione muci ſoluta.

Ασθμα (ab *ασθμαίνειν*; quod eſt anhelare vel difficulter reſpirare) pro leviori vel graviori reſpirationis laeſae gradu, varia apud Graecos nomina accepit: Quoniam autem nullum peculiare nomen noſtro malo impoſuerint, hoc tantum obſervaſſe ſufficiet. A CAELIO AURELIANO paſſio ſtricturae dicitur*. Ab HELMONTIO† caducus pulmonis.

* Morb. Chron. lib. 3. Cap. 1. † Ort. Med. p. 292.

monis. Willisius * Aſthma convulſivum nominavit; et Hoffmannus Willisium ſecutus, eodem nomine fere ſemper uſus eſt: Quamvis obſervatu dignum videtur, quod vox ſpaſmodicum ad idem ſignificandum, ab iſto auctore haud infrequenter uſurpetur, et certe longe felicius, quoniam nomen convulſivum multa impropria habet. A nonnullis periodicum appellatur, quia certis ſtatiſque temporibus reverti nonnunquam viſum fuit.

De GENERALI ASTHMATIS DIVISIONE.

Quoniam de diviſione Aſthmatis admodum diſcrepant auctores, neque, ut mihi videtur, aliquam, quae diverſas hujus morbi ſpecies ſatis apte comprehenderit, adhuc dederunt, non abs re erit hic loci pauca de ea dicere.

Frequentissima et maxime generalis Aſthmatis diviſio eſt in ſpaſmodicum ſive convulſivum et pituitoſum:

* De Morb. Convulſ. cap. 12.

pituitoſum: Sed cuique facile patebit hancce diviſionem multis objectionibus eſſe obnoxiam: Quis enim dixerit quod Aſthma natum a tuberculis,* polypis, concretionibus calculoſis, internam bronchiorum et veſicularum ſuperficiem obſidentibus, vel ad unum vel ad alterum ſatis commode reduci queat. Porro, omne Aſthma quod cum ſputo ſolvitur, minime pituitoſum, ſtricte ſic dictum, appellari poteſt, ut clarius poſtea patebit.

Alii Aſthma dividunt in continuum et periodicum†: Haec vero diviſio minime admittenda eſt; quoniam hicce morbus in acceſſionibus ſuis rariſſime adeo regularis eſt, ut nomen periodicum ſatis apte reſpondeat. Verum equidem eſt, quod apud auctores‡ exempla ſunt aſthmaticorum, qui certis ſtatiſque temporibus paroxyſmis afficiebantur; et Hoffmannus|| ex vitio et cruditatibus pri-

marum

* Hoffman. Oper. omn. tom. 1. p. 398

† Floyer on the Aſthma.

‡ Vid. Willis de Morb. convulſ. cap. 12.

|| Oper. omn. Tom. 1. 136.

marum viarum, tuſſes et pectoris infarctiones certis horis de die et nocte redeuntes, ſe vidiſſe teſtatur. Sed quam maxime notatu dignum videtur, quod idem auctor, ubi loquitur de diſtinguendo Aſthmate convulſivo ab aliis ſpeciebus hujus morbi, dicit, illud periodicum eſſe, et certis tantum temporis intervallis infeſtare; quamvis inter quam plurima exempla Aſthmatis convulſivi quae paſſim in ejus operibus inveniuntur, vix unum ſit quod hoc ſigno diſtingui poſſet.

Floyerus, quamvis hanc diviſionem amplectitur clare demonſtrat, ex hiſtoria Aſthmatis, cui nomen periodici impoſuit, illam minime idoneam eſſe; quoniam, nunc unius diei intervallo, nunc trium vel plurium, paroxyſmos infeſtaſſe teſtatur.

Aliae apud auctores inveniuntur generales hujus morbi diviſiones; quum autem objectionibus aeque obnoxiae ſint ac illae quas ſupra memoravi, eas hoc loco notare ſupervacaneum foret. Et nunc, quamvis opinionibus aliorum in hac re memet oppoſui, quam maxime vereor, ne quod ego

proponam,

proponam, non minus imperfectum videatur. Certe credo quod Aſthma melius ſaltem dividi poſſet in recidivum et continuum : Sub hoc enim omnes Aſthmatis ſpecies, quae liberam et continuam reſpirationem impediunt, ſatis apte contineri queunt, ſive a materia pituitoſa, veſciculis pellucidis* aëre vel aqua repletis, bronchia vel ſubſtantiam pulmonis occupantibus; a cauſis antea memoratis, vel quibuſcunque aliis, ortae. Sub illo, ſpecies quae incertis plerumque temporibus invadunt, reſpiratione in intervallis illibata manente.

Praeter diviſiones Aſthmatis ſupra memoratas, alia eſt minime omittenda ; in ſymptomaticum nempe et idiopathicum. Aſthma idiopathicum adeſſe dicitur, quando ipſa reſpirationis organa primario afficiuntur : Symptomaticum vero, quoties, ex laeſione cujuſdam alius partis corporis, pulmo per conſenſum in ſpaſticas conſtrictiones inordinatas trahitur. De priori ſolo agendum eſt.

HISTORIA

* Vid. Ruyſc. Obſervat. 19.

HISTORIA MORBI.

Hae fere ſunt notae inſtantis paroxyſmi. Per totum fere diem torpore et ineptitudine ad motum afficitur aeger. Tenſio et anguſtia circa praecordia ſentiuntur. Ructus ſaepe copioſe emittuntur. Pedes frigeſcunt. Prope noctem pulmo quaſi rigeſcit; reſpiratio fit leniter ſibiloſa, et ingrata ponderis ſenſatio circa pectus oritur. Gravedo et dolor capitis accedunt. Somnolenti deveniunt aegri et oſcitationibus pandiculationibuſque frequentiſſimis infeſtantur. Urinae fiunt pallidae et ſaepe valde copioſae. Tuſſis ſicca et quaſi convulſiva ſaepe ſupervenit. Os et fauces arida fiunt; et ſitis intolerabilis nonnunquam urget. Noctu obſcure calent, et pondus ſtragulorum ſupra pectus cum moleſtia ferunt.

In hoc rerum ſtatu aegri ſaepe ſomno fruuntur, et levis quaſi remiſſio ſymptomatum adeſſe videtur, ut ſaepius obſervavi: Circa autem horam primam vel ſecundam matutinam omnia ingraveſcunt.

cunt. Reſpiratio fit tarda, denſa, ſonora et admodum laborioſa. Coarctatio ſentitur ad ſedem diaphragmatis, quod, aeque ac inteſtina, ſurſum protrudi videtur. Vomitus bilis flavae vel viridis ſaepe accedit. Vox fit debilis et cum moleſtia loquuntur. In inſpiratione collum, pectus et humeri egregie elevantur. Fit calor valde intenſus; anxietas; pulſus velox, parvus, debilis et inaequalis: Et quadam neceſſitate e lecto ſurgere coguntur aegri. Multum et aërem frigidum cupiunt, et inde fere ſemper levamen ſentiunt; praecipue ſi ſedem fluidam deponant, quod (ſecundum Araeteum* Floyerumque †) non raro accidit: Quamvis ſi hiſtoriis hujus morbi ab Hoffmanno aliiſque enarratis confidere liceat, haecce regula minime conſtans et perpetua eſt.

Si malum in pejus ruat, cor mire palpitat. Membra frigent. Malae nigreſcunt, et ſudor frigidus circa frontem et jugulum emanat. Oculi protruduntur

* De Cauſ. et Sign. Morb. Diuturn. lib. 1. p. 40.

† Floyer on the Aſthma.

protruduntur et lachrymas involuntarias emittunt. Nares fiunt acutae et labia contrahuntur. Muſculi detumeſcunt, flacceſcunt, et vires vitae ſummopere languent. Soporoſi deveniunt aegri, ſed parum dormiunt. In animi deliquium non raro cadunt; delirant, et nonnunquam etiam mors finem miſeriis imponit.

At ſi vertatur in melius; anguſtia circa praecordia et pectus ſenſim minuitur, et tandem omnino deſinit. Calor per totum corpus aequaliter diſtribuitur et levi ſudore cutis madet. Parva plerumque copia phlegmatis viſcidi, lineis nigris diſcriminati, expuitur. Ceſſat ſputum cum paroxyſmo. Urinae nunc rubrae et turbidae fiunt, et ſedimentum ſaepe, haud abſimile illi quod poſt paroxyſmum febris intermittentis apparet, deponunt. Paroxyſmus nunc ſerius nunc citius ſolvitur: Nonnunquam durat tres vel quatuor dies; nunc intra horam unam vel alteram omnino deſinit. Sed obſervandum eſt, quod, quamvis malum ad quartam diem vel ultra nonnunquam protrahitur, attamen per totum hoc tempus non eadem vehe-

mentia aegrum infeſtat: Remiſſiones enim quamvis obſcuriores habuiſſe ſaepius novi, mane praecipue, et tunc corpore antrorſum, vel ad unum vel alterum latus inclinato, ſaepe ſomnus obrepit; noctu vero, niſi e lecto effugerint, omnia dein ſymptomata ingraveſcunt.

Non tamen ſemper hoc ordine et eadem vehementia apparent ſymptomata; diverſis enim temporibus, vel in eodem vel in diverſis aegris, multum diſcrepant. Nunc ante acceſſum alvus tumet et ructus copioſe emittuntur; nunc ceſſante paroxyſmo, qui interdum abſque ullo praegreſſo ſigno, uno quaſi ictu aegrum invadit, et eodem modo deſinit. Nonnunquam abſque febre * curſum ſuum abſolvit; nunc febris acceſſionem comitatur. Urinae nunc pallent et valde copioſae ſunt; nunc rubrae et parcae. Signa quoque inſtantis paroxyſmi in variis aegris admodum diverſa ſunt, ut poſtea forte apparebit; omnes enim varietates, quae in hoc morbo occurrunt, hic loci enumerare, me in nimiam prolixitatem duceret.

DIAG-

* Vid. Ridleyii Obſervationes.

DIAGNOSIS.

Si Aſthma pituitoſum ſemper tale ſit quale ab Hoffmanno † definitur, quod "cum tuſſi humida ac rejectione pituitae viſcidae conjunctum, noctu dieque, ſub quocunque corporis ſitu infeſtat;" non difficile foret noſtrum inter malum et illud limites certas et indubitatas ſtatuiſſe. Sed revera invenimus, quod ſi alteruter morbus aliquandiu duraverit, alterum ſibi quaſi conſciſcit. Utut hoc ſit, ſpero quod diſtinctiones infra memorandae, in praxi ſaltem non inutiles videantur.

Asthma pituitoſum eſt morbus quodammodo continuus: Homines temperamenti phlegmatici plerumque adoritur, qui, a catarrho praegreſſo vel aliqua alia labe, glandulas bronchiales adeo debiles et relaxatas habent, ut magnam ſemper copiam pituitae excreent; quae quamdiu libere expuitur, reſpirationem parum tantum laedit: Quoties

† Oper. Omn. tom. 3. p. 94.

Quoties autem ex ſuſcepto frigore, vel aliis cauſis, quibus evacuatio ſalutifera impeditur, materia accumulatur, et ſtagnando forte in ſua natura mutatur, partim mole veſiculas pulmonales obſtruit, partim quoque ſtimulo ſuo inſolitas conſtrictiones hiſce partibus praediſpoſitis inducit. Hinc evenit quod hyeme praecipue, quando frigus valde intenſum adeſt, acceſſiones crebriores et pertinaciores ſunt, quae redeunte calore vernali excretionibus magis amico, mitiores deveniunt, et in aeſtate parum ſaepe turbant.

Asthma e contrario ſpaſmodicum hominibus temperamenti ſanguinei magis familiare eſt, et pro ſua cauſa proëgumena nimiam nervorum pulmonalium ſenſibilitatem agnoſcere videtur; unde a leviori ſtimulo, fiſtulae bronchiales in contractionem ſpaſmodicam excitantur. Abſque ulla materiali cauſa pulmonem obſtruente aegrum invadit, et ſaepe ſine ſputo ſolvitur. Novi puellam, quae per quatuor annos hoc morbo cruciabatur, et quamvis a ſuſcepto frigore originem cepiſſe teſtabatur, per totum tamen hoc tempus, neque ad fi-

nem

nem paroxyſmi, nec in intervallis, vel minimam phlegmatis copiam expuebat. Sed monendum eſt, quod in hoc caſu acceſſiones rariores fuerunt, et vix unquam ultra unam horam vel alteram durabant: In alio enim aegro, qui paroxyſmos crebriores et longiores perpeſſus eſt, obſervavi, quod ſemper materiem quaſi gelatinoſam ad finem paroxyſmi ejecit, majori vel minori quantitate pro cauſa et duratione mali. Sed non inde concludere licet hanc fuiſſe cauſam morbi; ceſſabat enim cum paroxyſmo ſputus et illibata reſpiratione gauviſus eſt aeger, donec renovatum malum tali congeſtioni in glandulis bronchialibus de integro anſam praebuit. Notari quoque meretur, aegros ſupra memoratos aeſtate ſemper pejus ſeſe habuiſſe: Nec mirum, quoniam calor ſenſibilitatem corporis auget, et quicquid hoc facit, partes antea nimis teneras, a levi quavis cauſa, in ſolitas conſtrictiones facile trahere poteſt.

Differentia quoque inter Aſthma ſpaſmodicum et catarrhum ſuffocativum ſtabiliri debet. Hic ex improviſo cum magna anxietate, ſtertore et

virium

virium dejectione adoritur; ſonus quaſi ſpumidus et perpetuus materiae affluxus inter reſpirandum percipiuntur, et ſecundum HOFFMANNUM * tanquam ſpecies paralyſis nervorum reſpirationi inſervientium haberi debet. Illud vero vix unquam tam ſubito et cum ſymptomatibus adeo funeſtis aegrum invadit, ſtertor rarius occurrit, et vires vitae vix tam cito proſternuntur: Affluxus materiae et ſonus ſpumidus inter reſpirandum ſemper deficiunt, niſi quando malum ad extremum perventum fuerit †. Praeterea Aſthma ſpaſmodicum it reditque, et per plurimos ſaepe annos abſque multo incommodo protrahitur: Dum catarrhus ſuffocativus cito plerumque pede curſum ſuum abſolvit et rarius recurrit: Hinc non immerito ab HOFFMANNO ad morbos acutos refertur.

MALUM hyſtericum non raro imitatur Aſthma ſpaſmodicum aeque ac alios morbos: In hoc vero diſcrepant, quod prius a conſtrictione ſpaſmodica ſummarum faucium liberum aëris tranſitum ad pulmones

* Oper. Omn. tom. 3. p. 94.

† Hoffman. Oper. Omn. tom. 1. p. 394.

mones impediente, oriri videtur: Poſterius vero, vitium in ipſis pulmonibus pro ſua cauſa agnoſcit.

CAUSAE ANTECEDENTES.

"ATTENTA docet experientia, inquit HOFF-"MANNUS *, eos potiſſimum homines, qui ſunt "temperamenti ſanguinei, vaſis exilioribus tamen "copioſis inſtructi, obeſiores, plethorici, pectoris "anguſtioris; in affectum aſthmaticum convulſi-"vum eſſe proclives." Quamvis minime negandum eſt, has conditiones ad hunc morbum diſponere; quoniam tamen notum eſt, quod homines in quibus hae occurrunt ſaepius in hunc morbum non incidunt, quamvis cauſae occaſionales ab eodem auctore memoratae accedunt; alia quoque cauſa excogitanda eſt, nimia nempe mobilitas partium ad organa reſpirationis pertinentium. Talis forſan opinio figmentum potius imaginationis, quam ſanae rationi conſentaneum putaretur; ſed niſi talis diſpoſitio

* Oper. Omn. tom. 3. p. 95.

diſpoſitio concedatur, quomodo concipi poteſt, quod homines qui ſyſtemate nervoſo valde mobili praediti ſunt, et morbos inde pendentes per totam ſaepe vitam patiuntur, ne vel ſemel Aſthmate laborant? Haec autem diatheſis vel a labe haereditaria, vel morbis praegreſſis, oriri poteſt.

Quoad priorem; quamvis indubitata experientia docti ſumus morbos quamplurimos a parentibus ad liberos tranſmigrare, et inter alios affectionem quoque noſtram *; quomodo tamen hoc fiat ſcrutinium humanum vix attingere poteſt; totum enim opus generationis tenebris adeo offunditur, ut lumina tantum obſcuriora ex hoc fonte mutuari poſſumus. Omiſſis igitur variis ſententiis quas Medici ab omni tempore de hac re foverunt, tantum hoc loco obſervandum eſt, natos ſaepe parentibus ſimillimos evadere, ita ut formam, figuram et ſtructuram partium ſolidarum exacte repreſentent †; animi

* Foreſt. Obſerv. lib. 6. Rolfinc. Epitom. Pract. lib. 2.

† Fit quoque, ut interdum ſimiles exiſtere avorum
Poſſint, et referant proavorum ſaepe figuras,

Propterea,

mi quoque pathemata a parentibus ad liberos tranſfundi, ita ut iracundi ab iracundis, avari ab avaris ſaepe generentur; externarum denique ſenſuum objecta liberos aeque ac parentes eodem modo afficere. Nonne igitur concludere liceat, quod talis diſpoſitio ad quoſdam morbos etiam inter conſanguineos propagari queat, qui ſenſim ſenſimque radices ſpargunt, pullulant et in ſuis propriis locis tandem prorumpunt?

Quoad poſteriorem cauſam, morbos nempe praegreſſos: Quamvis ex ſupradictis patet, Aſthma a labe haereditaria oriri poſſe, attamen forte multo crebrius ex praegreſſis morbis originem ducit. Inter hos, febres praecipue intermittentes, variolae, morbilli, pulmonis inflammatio, catarrhi, malum hyſtericum et hypochondriacum, primum merentur locum.

Propterea, quia multa modis primordia multis
Miſta ſuo celant in corpore ſaepe parentes,
Quae patribus patres tradunt a ſtirpe profecta.
Inde Venus varia producit ſorte figuras:
Majorumque refert voltus, voceſque, comaſque.

Lucret. de Natur. Rerum lib. 1. p. 130.

CAUSAE OCCASIONALES.

Hae valde numeroſae ſunt; quicquid enim totum ſyſtema nervoſum vel pulmonem ipſum vellicat, aut quovis alio modo motus inordinatos in corpore excitat, acceſſionem facile inducere poteſt: Quum autem, explicare quomodo infinitae fere cauſae etiam oppoſitae in eodem vel diverſis aegris agant ut malum pariant, me longe ultra propoſitum duceret, et forte difficultatibus vix ſuperandis immergeret; monendum eſt, quod hic loci, tantum mihi propoſui, cauſas frequentiores quam breviſſime enarrare: Hae ſaepiſſime oriuntur ab aliqua culpa in rebus nonnaturalibus, ideoque ex hoc fonte praecipue petendae ſunt.

Nemini non notum eſt, quam potenter diverſae aëris conſtitutiones in corpus humanum agunt: Hae notabilius eos afficiunt, quorum pulmo ab aliqua labe praegreſſa, in ſtatu nimis tenero relinquitur; inter eas forte nulla eſt conditio, quae tam frequenter acceſſioni aſthmatico originem

praebet,

praebet, quam imprudens expoſitio corporis aëri nimis frigido: Hic ſyſtemati nervoſo adeo inamicus eſt, ut praecipua cauſa mali ab omnibus fere aſthmaticis habeatur. Aër quoque nimis calidus aut diverſis inquinamentis ſcatens, non minus in culpa habendus eſt. Subitae denique aëris mutationes, ſive ſint ex frigido in calidum, vel ex humido in ſiccum, non raro hoc malum inducunt. An aliquid etiam imperio lunae attribui debet? Verum equidem eſt, eam *miro nonnunquam modo in corpus agere, et exempla † ſunt hominum Aſthmate laborantium, qui lunae ſtationibus, exacerbationes ſemper patiebantur: An autem in hoc morbo aliter ſuos edat effectus quam mutationes in atmoſphaera inducendo, merito dubitari poteſt.

Praeter haec, cibus quadam ingrata qualitate peccans, aut nimia copia pro viribus ventriculi aſſumptus; immodica cereviſiae non bene fermentatae ingurgitatio, vel vini, quamvis optimi, uſus intemperatus;

* Mead de Imper. Solis et Lunae.

† Vid. Helmont. Ort. Med. p. 290.

temperatus; inanitio; exercitatio ultra modum protracta, pleno praecipue ventriculo; ex vita admodum actuoſa in ſedentariam ſubita mutatio; animi pathemata magna; ſpeculationum abſtruſarum nimia indulgentia; vigiliae, occaſionem noſtro malo ſaepiſſime praebent.

Ratio quoque habenda eſt ſuppreſſionis evacuationum corpori conſuetarum, ſive ſint naturales, artificiales vel morboſae. Sic conſtipatio alvi; nocturni ſudoris cohibitio; fluxus menſtrualis vel haemorrhoidalis ſuppreſſio; ulcera antiqua, fonticuli et acores capitis inopportune conſolidata; tranſpiratio corporis totius, faetor pedum et eorundem tumores oedematoſi ſubito repreſſa, inſultibus hujus morbi haud infrequenter anſam dederunt.

Exanthemata denique varia, materia podagrica, ab imprudenti uſu aſtringentium, aut quovis alio modo ex ſuperficie ad interiora retroacta, effectus non minus funeſtos edunt. Annon etiam ſanguis prae nimia acrimonia peccans, pro cauſa hujus morbi nonnunquam ſuſpicandus eſt, quamvis

vis nulla externa ſigna tali hypotheſi fulcimentum praebent? Caſus infra memorandus non ſolum hoc probabile reddit, ſed notabile quoque exemplum exhibet effectuum ex retropulſis exanthematibus emanantium.

Juvenis viginti quinque annorum, temperamenti ſanguinei et ex ſanis parentibus natus; ex pueritia fere exercitiis violentiſſimis multum deditus, et corpus prius nimis calefactum aëri frigido ſaepius objiciens, ita ut catarrhum ex hac cauſa non raro pateretur; creſcente quoque aetate haec non minus in deliciis habens, et compotationibus vinoſis ſaepe nimium indulgens, tandem, decem circiter abhinc annis (ex ſuſcepto frigore ut ait) in Aſthma ſpaſmodicum incidit, incertis temporibus invadens, et cum excretione muci, ſed copia vix notabili, plerumque ſolutum. In intervallis paroxyſmorum optima ſanitate gavifus eſt, et omnia munia vitae ſine incommodo peregit. Diro hoc morbo minime perterritus, intemperato vini uſui non minus quam antea indulſit. Ante ſex circiter annos haemorrhoides apparuerunt, quae imprudenti uſu aſtringentium retro-

pellebantur.

pellebantur. Sed quod ad rem facit, ſequenti fere ſemper modo inſtanti paroxyſmo afficiebatur. Ingentem pruritum circa caput, oculos, aures humeroſque ſenſit; cerumen aurium, os, fauces et nares exaruerunt; et odorem et ſaporem perdidit. Ingrata ſenſatio ponderis ex lumbis ad ſuperiora ſenſim extendebatur; dolorem quaſi pungitantem circa tempora, occiput, pectus et apices humerorum ſenſit, qui non infrequenter ad brachia et crura ſeſe diffudit, et per totum ſaepe paroxyſmum graviter turbavit. Duobus abhinc annis maculae rubrae circa collum, pectus et humeros apparuerunt; hae pruriunt inſigniter ante paroxyſmum, et ingraveſcente malo fere evaneſcunt: Reſtituta vero circulatione ad ſuperficiem, iterum effloreſcunt et reſpiratione illibata gaudet aeger, donec, nata occaſione de novo, retrocedant. Caſus huic non valde abſimilis apud Hoffmannum * narratur.

CAUSA

* Oper. Omn. Tom. 4. p. 406.

CAUSA PROXIMA.

Causa proxima hujus morbi eſt ſpaſmodica conſtrictio fibrarum muſcularium annulos bronchiorum cartilagineos connectentium. Quamvis a nonnullis veterum, Araetaeoque* praecipue, aeque ac recentiorum, ſymptomata hujus morbi haud obſcure depingantur, attamen cauſa formalis illos omnino latuiſſe videtur; ſemper enim materiam pituitoſam frigidam in pulmonibus ipſis natam, aut aliunde huc delatam, in culpa habuerunt. Inutile foret tempus terere in detegenda falſitate hujus opinionis, quoniam ex antedictis, ut opinor, facile eluceſcit: Tantum igitur hoc loco notari meretur, cauſam in materia aliqua, bronchia vel veſiculas pulmonales obſtruente, non eſſe petendam; ſaepe enim malum abſque ulla viſibili evacuatione ſolvitur; et quamvis non raro ad finem paroxyſmi aliquid expuitur, antequam tamen hoc evenit, conſtrictio circa bronchia fere omnino tollitur, et etiam tunc copia ſputi plerumque adeo parva eſt, ut pro cauſa reſpiratio-

nis

† De Cauſ. et Sig. morb. diutur. lib. 1. p. 39.

nis tam difficilis minime agnoſci debeat. Res autem ultra omne dubium ponitur ex diſſectione eorum qui hoc morbo perierunt; in quorum pulmone nulla materia obſtruens aut aliqua alia labes percipi potuit, cujus exempla * paſſim apud auctores † inveniuntur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Per totum fere diem torpore et ineptitudine ad motum afficitur aeger.) Haec quamplurimos morbos praenunciant, et originem ducere videntur ab aliqua mutatione in ſyſtema nervoſum inducta, qua ineptum redditur eas conditiones fibris motricibus impertire, a quibus agilitas corporis et perfectio omnium functionum pendent.

Tenſio et anguſtia circa praecordia ſentiuntur.) Haec, ſecundum FLOYERUM‡, horis tribus vel quatuor

* Vid. Willis De morb. convulſ. cap. 12.

† Vid. Miſcel. Nat. Curioſ. Dec. 1. Ann. 4. obſ. 2.

‡ Vid. Floyer on the Aſthma.

tuor poſt prandium accedunt. Cibus ſemper quemdam fermentationis gradum in ventriculo ſubit, quae ad aſſimilationem ejus omnino neceſſaria eſſe videtur, et quamdiu intra limites a natura circumſcriptos coërcetur, ſine ullo incommodo fertur; quoties autem, prae nimia imbecillitate ventriculi praegreſſa, (vel forte in noſtro morbo a paroxyſmo jam fere incipiente inducta) cibus ſubigi nequit, ſtagnat et ingentem aëris copiam generat, qui ſtimulando teneram ventriculi compagem ſpaſticas conſtrictiones circa ejus orificia gignit, unde aër, exitu negato, ventriculum diſtendit et ſenſationem tenſionis et anguſtiae circa praecordia excitat.

Ructus ſaepe copioſe emittuntur.) Haec accidunt quoties aër, rupto clauſtro, vi magna per oeſophagum prorumpit, et iterantur pro copia aëris qui in ventriculo gignitur.

Pedes frigeſcunt.) Calorem aeque ac ſanitatem corporis praecipue pendere a libero et debito circuitu ſanguinis per omnia vaſa, ab omnibus, uti credo, conceditur. Hic autem vaſa minima cir-

ca pedes conſtringi videntur, unde diſtributio ſanguinis per ea impeditur, et ab hac cauſa forte frigus circa has partes originem ducit: Utut hoc ſit obſervari meretur, hoc ſymptoma minime perpetuum eſſe; nam in nonnullis aegris calor, e contrario, pedum adeo intenſus eſt, ut de eo multum conquerantur.

Prope noctem pulmo quaſi rigeſcit, reſpiratio ſit leniter ſibiloſa, et ingrata ponderis ſenſatio circa pectus oritur.) Duo priora ſymptomata denotant conſtrictionem circa bronchia jam inceptam. Poſterius vero a prioribus facile deducitur; quamprimum enim aëri per pulmonem liber denegatur tranſitus, neceſſe eſt ut ſanguinis circuitus in illo quodammodo impediatur, unde congeſtiones in vaſis pulmonalibus formantur, et exinde, uti videtur, ingrata ponderis ſenſatio circa pectus oritur.

Gravedo et dolor capitis accedunt.) Haec a praecedente ſymptomate ſponte emanant: Quamprimum enim ſanguinis circuitus per pulmonem aliquatenus interrumpitur, major copia ſanguinis circa

circa caput congeritur, qui, comprimendo cerebrum, et vaſa minima, forte ſpaſmo antea affecta, nimium diſtendendo, gravedinem et dolorem capitis inducit.

Somnolenti deveniunt aegri et oſcitationibus, &c.) Prius a compreſſione cerebri jam aucta oriri videtur. Hoc ſymptoma nonnunquam, etiam in principio morbi, adeo inſigne eſt, ut levem apoplexiae ſpeciem haud male referat; et novi aegrum, qui ad finem paroxyſmi ſomno adeo profundo ſaepius obruebatur, ut vix ulla vi reſuſcitari potuerit. Poſteria autem ſymptomata, oſcitationes nempe et pandiculationes, ex inſtinctu naturae, uti credo, fiunt, ut exinde circuitus ſanguinis per pulmonem, jam multum impeditus, promoveatur.

Urinae fiunt pallidae et ſaepe valde copioſae.) Pallor urinae pro ſua cauſa agnoſcit ſpaſmum circa vaſa renalia, unde tenuiores tantum et magis aquoſae partes ſanguinis ſecernuntur. Copia vero oriri videtur ex turbato ſyſtemate nervoſo, quo vaſa renalia in crebriores et inordinatas oſcillationes deducuntur,

cuntur, et exinde ſecretio urinae intra datum tempus multum augetur.

Tuſſis ſicca et quaſi convulſiva ſaepe ſupervenit.) Pulmo in ſtatu ſano ſmegmate aquoſo ſemper irroratur, quo ab injuriis aëris defendatur; hic autem excretoria ſuperficiem pulmonis ubique obſidentia conſtringi videntur; unde non mirum eſt, ſi aër, ſtimulando has partes antea nimis teneras et praeſidio ſuo jam orbatas, tales motus convulſivos excitaret. Stimulus forte ſanguinis intra pulmonem congeſti, huic quoque non parum conducit.

Os et fauces arida fiunt et ſitis, &c.) Siccitas oris et faucium ab eadem cauſa ac ſymptoma ſupramemoratum oritur; ingens deſiderium potus a provida natura excitari videtur, ut hae partes, valde ſenſibiles et mucoſis ſuis humoribus jam orbatae, humectentur, et ad priſtinum ſtatum denuo quodammodo reſtituantur. Merito quoque conjicere licet quod oeſophagus et ventriculus eodem modo ac os et fauces afficiuntur. Hinc non mirum videbitur, ſi ſiti quam maxima nonnunquam affligantur aegri.

aegri. Forte dici poſſet, quod haec ſymptomata non tam a ſpaſmo proveniunt, quam ex defectu laticis aquoſi ſanguinis, qui copia tam notabili, dudum per vaſa renalia excernebatur: ſed res aliter evenit, nam haec ſuperveniunt quamvis ſecretio urinae a ſtatu ſano nihil deflectit. Nonnunquam tamen accidit, ſudorem ſatis notabilem * tempore paroxyſmi † adeſſe, et in hiſce aegris ſitis partim ab iſta cauſa deduci poſſet; attamen, ſi Floyero ‖ confidere liceat, tales ſudores rarius occurrunt.

Noctu obſcure calent, et pondus ſtragulorum, &c.) Prius oriri videtur a circuitu ſanguinis jam paululum aucto. Quod pondus ſtragulorum ſupra pectus aegre fertur, vix mirari poſſumus; quicquid enim liberam thoracis dilatationem, etiam in ſano pulmonis ſtatu, impedit, eundem effectum edit.

Circa

* Vid. Ridleyii Obſervationes.

† Clariſſimus noſter Profeſſor Whytt mihi retulit caſum aegri hoc morbo laborantis, qui per totum paroxyſmi decurſum ſudoribus ſemper diffluebat.

‖ Floyer on the Aſthma.

Circa horam primam vel ſecundam matutinam omnia ingraveſcunt.) Ex communi fere conſenſu omnium auctorum hoc confirmatur, et adeo conſtans eſt, ut inter ſigna diagnoſtica hujus morbi ab HOFFMANNO * enumeretur. Unde hoc evenit? Queſtio equidem difficillima eſt, ſcrutinio humano vix attingenda! In re adeo obſcura forte melius foret ſiſtere gradum, quam viam explorare in loco tenebris adeo profundis offuſo. Utcunque hoc ſit, obſervare licet, quod a lege in oeconomia animali, nobis adhuc nimis incognita, ſed olim forſan extricanda, pendere videtur; qua certis temporibus, non ſolum in hoc morbo, ſed in multis aliis, tam acutis quam chronicis, ad exacerbationes corpus magis diſponitur. Hoc conceſſo, non tam difficile erit explicare, quare aſthmatici circa hoc tempus pejus ſeſe habeant: Nam calor lecti non ſolum corpus ſenſibilius reddit, ſed ſanguinem rarefacit, ita ut mole ſua multum augeatur: Fibrae autem motrice circa pulmonem, antea nimis irritabiles et diſtentioni ſuae reſiſtentes, in ſpaſticas conſtrictiones inordinatas

* Oper. omn. tom. 1. p. 298,

dinatas exinde deducuntur. Situs corporis huic quoque non parum conducit; in poſitione namque ſupina viſcera abdominalia liberum diaphragmatis deſcenſum impediunt, et thoracis cavitas inde multum minuitur; et hinc forte evenit, quod ſimulac aegri e lecto ſurrexerint et aëri ſubfrigido ſeſe expoſuerint, ſemper fere multum levantur.

Reſpiratio fit tarda, denſa, ſonora et admodum laborioſa.) Reſpiratio tarda evenit, quia, ob conſtrictionem bronchiorum, ſufficiens aëris copia, ad circulationem per pulmonem promovendam, non tam cito hauriri poteſt. Denſa vero reſpiratio excitari videtur, ut paucitas aëris una inſpiratione intra pulmonem recepti, per auctum inſpirationum numerum compenſaretur. Sonora. Hoc praecipue evenit in expiratione, quando aër majori vi per bronchia jam adeo anguſtata truditur. Cur laborioſa fiat, ſponte patet.

Coarctatio ſenſitur ad ſedem diaphragmatis, quod aeque ac inteſtina, &c.) Coarctatio circa diaphragma oriri poteſt, vel a ventriculo flatibus diſtento, vel

vel forte a ſpaſmo per conſenſum in haſce partes inducto. Inteſtina ſpaſmis vagis affecta, et motu ipſorum naturali jam inverſo, ſurſum quaſi protrudi videntur.

Vomitus bilis flavae vel viridis ſaepe accedit.) Facile concipitur, bilem, a motu retrogrado inteſtinorum in ventriculum pulſam, ſtimulo ſuo ingrato vomitum excitare poſſe, indeque materiam flavam eliminari; ſed quomodo fiat, quod bilis, ex ſua natura flaveſcens, viridi colore praedita, nonnunquam ex ore rejiciatur, vix explicari poteſt. Novimus equidem bilem flavam acido miſtam ſtatim viridem induere colorem; et hinc nonnulli, qui aſſerunt acidum in uniuſcujuſque ventriculo hoſpitari, hoc phaenomenon, ex miſcela bilis cum illo priuſquam evomatur, explicuerunt. Sed merito dubitari poteſt, an in ventriculo ſano, acidum, copia tam magna, et vi adeo inſigni praeditum, unquam adſit, ut hanc mutationem bili inducat. Praeterea, homines, ex agitatione navis, vel forti emetico ſumpto, viridem bilem raro niſi poſt repetitum vomitum ejiciunt; adeo ut omne acidum, ſi tale quid adfuerit,

prius

prius eliminari deberet. Ob haſce igitur rationes probabilius ſaltem mihi videtur, viridem bilis colorem alicui mutationi in ipſo organo excretorio potius attribuendam eſſe: Qualis autem haec ſit, aut quomodo fiat, me omnino neſcire fateor.

Vox ſit debilis et cum moleſtia loquuntur.) Si conſideretur quantum robur vocis pendet a vi et copia aëris ex pulmone in expiratione efflati; facile patebit quare vox in hoc morbo adeo debilis reddatur. Cur cum moleſtia loquuntur, ex ſupradictis eluceſcit.

In inſpiratione, collum, pectus, &c. *egregie elevantur.*) Haec omnia ex inſtinctu naturae fiunt, ut exinde cavitas thoracis augeatur, et liber ſanguinis circuitus per pulmonem denuo reſtituatur.

Fit calor valde intenſus.) Hic ab aucto ſanguinis circuitu multum ſaltem pendere videtur.

Anxietas.) Ingrata admodum ſenſatio verbis vix depingenda. In hoc morbo, a congeſtione ſanguinis circa pulmonem originem ducit.

Pulſus velox, parvus, debilis et inequalis.) Pulſus velox tantum evenit, quando febris acceſſionem comitatur. Crebriores cordis contractiones, a ſapienti natura excitari videntur, ut inde liber ſanguinis tranſitus per pulmones denuo concilietur. Pulſus parvus et debilis in omnibus gravioribus pulmonum morbis accedit; cauſa vero petenda eſt ex obſtructo ſanguinis tranſitu per pulmones, unde exigua tantum copia ſanguinis ad cor ſiniſtrum ducitur, et uno ictu propellitur. Pulſus inequalis evenit, quia nunc majori, nunc minori quantitate venae pulmonales ſanguinem in ſiniſtrum cordis ventriculum transfundunt.

Cor mire palpipat.) Quando ſanguinis circuitus per omnia vaſa bene procedit, motus cordis vix ſentiuntur; in hoc vero ſtadio hujus morbi, ob vehementem pulmonis conſtrictionem; ſanguis circa

cor

cor dextrum accumulatur, partes haſce valde irritabiles ſtimulat, unde hi motus quodammodo convulſivi excitantur.

Membra frigent.) Quia viribus vitae jam multum diminutis, ſanguis ad remotiores corporis partes propelli nequit.

Malae nigreſcunt et ſudor frigidus, &c.) Cur malae nigreſcant, ex impedito ſanguinis circuitu per pulmonem facile eluceſcit; quamprimum enim ſanguini per eum liber denegatur tranſitus, neceſſe eſt ut circa cor dextrum et venam cavam accumuletur; hinc ſanguis e capite redux ſiſtitur, circa faciem congeritur, vaſa diſtendit, et inde nigredo genarum oritur. Sudor circa frontem et jugulum pro ſua cauſa habet relaxationem vaſorum exhalantium, ob vires vitae jam fere obrutas. Frigidus emanat, quia ob diminutam circulationem, hae partes nativo ſuo calore fere omnino privantur.

Oculi protruduntur et lachrymas involuntarias emittunt.) Oculi prominent ob magnam ſanguinis

congeſtionem

congeſtionem circa orbitas. Involuntaria lachrymarum emiſſio eandem forte cauſam agnoſcit; tumentibus enim vaſis puncta lachrymalia occluduntur; quamvis ab aliis deduci poſſet, nam a ſecretione aucta, a ſpaſmo ſaccum vel punctum lachrymale afficiente idem eveniret. FLOYERUS * narrat, lachrymas ſaepe partes adjacentes nigro vel flavo colore tingere; unde autem hoc evenit, nemini, uti credo, notum eſt.

Soporoſi deveniunt aegri, ſed parum dormiunt.) Soporoſi deveniunt ob compreſſionem cerebri; parum vero dormiunt prae metu ſuffocationis, ob congeſtionem ſanguinis circa pulmones et caetera viſcera vitalia.

In animi deliquium non raro cadunt.) A duplici cauſa hoc oriri poteſt; vel a nimia diſtenſione vaſorum circa cerebrum, vel a ſanguine copia tam magna ad cor dextrum congeſto, ſiniſtro iterum fere vacuo, adeo ut actionem ejus ultra protrahere nequeat.

Delirant.)

* Floyer on the Aſthma.

Delirant.) Delirium adeſſe dicitur, quando ideae in mente excitatae rebus externis non reſpondent. Non mirum videbitur, ſi huic morbo ſuperveniat, quum functiones cerebri jam adeo turbatae ſint.

At ſi verſatur in melius, &c. *parva plerumque copia phlegmatis expuitur.*) Quare hoc fiat primo intuitu patet; nam quamprimum conſtrictio bronchiorum relaxatur, glandulae et vaſa exhalantia, antea quoque ſpaſmo affecta, ſuos eructant humores, qui tuſſi rejiciuntur.

Lineis nigris diſcriminati.) Cur hoc fiat dictu difficillimum eſt; probabile videtur mucum, in folliculis bronchialibus ſtagnando, dotibus ſuis adeo mutatum fuiſſe, ut hanc induat faciem.

Urinae rubrae et turbidae fiunt et ſedimentum, &c.) Quia vaſa renalia a ſpaſmo jam immunia, liberum praebent exitum craſſioribus partibus ſanguinis antea retentis.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Praesagia in hoc morbo ex ſequentibus conditionibus petenda ſunt.

1*mo*, *Ætate et temperie aegri.*) Quo junior eſt aeger, eo, cæteris paribus, major ſpes eſt ſanationis; in juvenili enim aetate ſyſtema nervoſum valde mobile eſt, et exinde, ex levi quavis cauſa, in ſpaſmodicas affectiones corpus magis proclive redditur, quæ, creſcente rigiditate, aut aptis remediis plerumque facilius tolluntur. Quoad temperiem obſervari meretur, quod ſi ex labe haereditaria malum emanet, mitigari tantum, nunquam vero omnino extirpari poteſt.

2*do*, *Cauſa morbi.*) Si ab arthritide, exanthematibus, evacuationibus ſolitis, &c. ſuppreſſis, malum ortum duxerit, ſpes eſt, hiſce reductis, ſanitatem iterum reſtitui poſſe.

3*tio*,

3tio, [Duratione morbi, vehementia et crebritate acceſſionum.) Vetus dictum eſt, et ex temporibus immortalis Hippocratis * ad hunc uſque diem confirmatum, recentes morbos facilius medicinam admittere, quam antiquos: In Aſthmate hoc nimis ſaepe ultra dubium ponitur; quamvis enim per plurimos annos nonnunquam ſine multo incommodo duret, et medicamentis rite inſtitutis levamen ſaepe magnum afferatur, vix unquam tamen omnino evincitur. Si autem paroxyſmi vehementiores et crebriores deveniant, vel ex ſeipſis jugulant, vel turbando functiones pulmonis aliorumque viſcerum, peripneumoniam, phthiſin, obſtructiones viſcerum imi ventris, cachexiam, hydropem particularem vel univerſalem inducunt, quae ſerius aut citius, pro cujuſque morbi natura, finem miſeriis imponunt.

Ut

* De locis in homine, ſect. 47.

Ut finem faciam, in genere obſervandum eſt cum Floyero * Hoffmannoque †, quod, ſi aegri polypo cordis, palpitationibus, ſyncope frequenti, febre lenta, nocturno praecipue tempore invadente, lethargo, paralyſi vel apoplexia tententur, mors plerumque cito ſcenam claudit.

METHODUS MEDENDI.

Ortu, progreſſu et effectibus hujus morbi jam penſitatis, ad ſanationem tandem perventum eſt; grave equidem opus! Quamvis enim a medicis, ab omni aevo, medicamentis numero fere infinitis, et in ſua natura omnino oppoſitis tentatum fuerit; ex eorum tamen teſtimoniis, eventum votis ſaepe non reſpondiſſe, diſcimus. Quid igitur conſilii capiemus? An cum tanta farragine medicamentorum opus ſuſcipiendum eſt? An naturae ſoli omnino committendum?

* Floyer on the Aſthma.

† Oper. omn. tom. 3. p. 97.

mittendum? Media via inter haec extrema, cum non ſolum utiliſſima ſed et tutiſſima eſſe videtur, ſedulo petenda eſt.

INDICATIONES CURATORIAE SUNT,

1*mo*, Consopire ſpaſmos circa bronchia.

2*do*, Causas morbi depellere, vel pro earum diverſa natura corrigere.

3*tio*, Morbo recidivo occurrere.

Quoad primam indicationem obſervari meretur, quod ſi paroxyſmo incipienti occurratur, levioribus medicamentis plerumque ſubmoveri poſſit; inter haec clyſteres emollientes carminativi egregios praeſtant effectus, nam levi quadam anodyna qualitate ſenſilitatem totius corporis quodammodo compeſcunt, flatus deorſum alliciunt et exonerationem alvi promovent. Floyerus eos

F magni

magni aeſtimavit; nec mirum, quoniam uſu compertum habuit, aegros plerumque levamen praeſentaneum accepiſſe, quoties, abſque horum adjumento, humores flatuſque ad inferiora ferebantur, et una vel altera alvi ejectio acceſſit.

Primae intentioni quoque pulchre conducunt pediluvia tepida, frictiones pedum, fomenta, pectori abdomini humeriſque applicata. Forte dici poſſet, haec, quoniam ſanguinem rarefaciunt ejuſque motum augent, eodem modo ac calor lecti, in paroxyſmo nociva eſſe; ſed experientia omnium aevorum contrarium docet; atque ex effectis aquae tepidae corpori externe applicatae apparet, eam merito enumerari poſſe inter antiſpaſmodica maxime potentia.

Cataplasmata ex ſynapi confecta, plantis pedum, dorſo vel lateribus applicata, levamen ſaepe magnum quoque afferunt. Annon aether et linimenta nervina dicta, etiam cum fructu adhiberi poſſent?

Interna

Interna remedia praecipue ex antiſpaſmodicis ducenda ſunt ; inter haec moſchus et opium primum merentur locum. Quoad poſterius in genere monendum eſt, quod cum cautela in uſum vocari debet: Forte in illa ſpecie ſola hujus morbi, quae ſine ſputo ſolvitur, abſque periculo exhiberi queat.

Quamplurima ſunt alia medicamenta huic ſcopo feliciter conducentia, ſicut gummi foetida, caſtoreum, fuligo, camphora, ſal. c. c. &c. quae doſi aeque ac praeparatione, pro temperie aegri varianda ſunt.

Ante duos annos in Noſocomio Edinenſi, vidi puellam Aſthmate ſpaſmodico diu cruciatam, quae ex uſu bol. pectoralis* levamen inſigne ſenſit; quoties enim, inſtanti paroxyſmo, huic remedio confugiebat, intra quadrantem horae e morbo ſaepe omnino libera evaſit. Novi quoque aegrum, qui, poſt alia remedia incaſſum tentata, levamen ſaepe praeſentaneum

* Pharmacop. Pauperum.

ſentaneum accepit, fumum tabaci tubo exhauriendo: et D. SHEBEARE* narrat caſum mulieris, quae, hauriendo vapores ſulphuris accenſi, impetum paroxyſmi ſemper fregit.

UT rem ad finem perducam, monendum eſt, quod ſi aeger ſit temperiei calidae, ſi plethora laboret et ſymptomata cum febre ingraveſcant, medicamenta calefacientia ſupramemorata caute adhibenda ſunt, et venaeſectioni veſicatoriiſque palma concedenda eſt.

SUPEREST tantum ut obiter moneamus, oportere ut corpus, per totum decurſum acceſſionis, in moderato ſaltem calore conſervetur, et omnia ingrata longe amoveantur.

PRAEMISSIS praecipuis cautelis in paroxyſmo obſervandis, ad ſecundam indicationem, cauſas nempe morbi depellere, vel pro earum diverſa natura corrigere,

* Shebeare's Practice of Phyſick, vol. 2. p. 247.

corrigere, jam progrediendum eſt. Per cauſas morbi intelligo, non ſolum praediſponentem, ſed nonnullas etiam occaſionalium, quae, niſi amoveantur, vel ſaltem corrigantur, vix tuto vel cum fructu ad nimiam pulmonis ſenſilitatem avertendam nos accingere poſſumus; quum autem harum praecipuae, tanquam morbi ex ſeipſis conſiderari merentur, hic loci tantum, quatenus ad extirpationem hujus morbi viam ſternunt, tractari debent.

Si igitur malum inductum fuerit a ſuppreſſione fluxus haemorrhoidalis vel menſtrualis, omni molimine artis conandum eſt, ut hic denuo reſtituatur. Huic intentioni pulchre conducunt medicamenta quae impetum ſanguinis ad inferiora alliciunt, uti ſemicupium, fomenta, frictiones crurum pedumque, laxantia et clyſteres, ex gummi foetidis praecipue confecti, qui vi quadam ſpecifica in partes affectas agere videntur. Hoffmannus * in hiſce caſibus, internum

* Oper. omn. tom. 3. p. 98.

internum pariter ac externum thermarum uſum magni pendit, et ad reducendum fluorem haemorrhoidalem jubet ut hirudines venis ſedalibus applicentur.

Si malum ortum duxerit ab ulceribus antiquis, fonticulis, acoribus capitis inopportune conſolidatis, hae evacuationes ſtatim renovandae ſunt. Si ab œdematoſis pedum tumoribus retropulſis, totis viribus nitendum eſt ut materia peccans ad ſuum locum fomentis rictionibuſque revocetur; vel ſi hoc fieri nequit, ut laxantibus et diaphoreticis e corpore elimi-netur.

Quando morbus a materia podagrica repulſa originem traxit, eadem fere remedia quae in paroxyſmo tentata fuerint, in uſum vocari debent, ut illa denuo ad ſuum locum alliciatur, pediluvia ſcil. tepida, frictiones pedum, veſicatoria vel cataplaſmata acriora, cum cardiacis blandiſque diaphoreticis. Idem quoque dici poſſet de exanthematibus retropulſis, quae ſimulac ad ſua loca reducta fuerint, medicamentis

peculiari

peculiari cuique acrimoniae contrariis e corpore exterminanda ſunt.

Superest tantum ut moneam, aegrum, cujus caſum ad paginam 21 memoravi, levamen adeo inſigne ex uſu aq. calcis cum gummi Arabico et quarta parte lactis accepiſſe, ut intra totum annum vix ſemel impetum morbi perpeſſus ſit.

Ad nimiam pulmonis ſenſilitatem amovendam, cortex Peruvianus omnibus aliis remediis facile palmam praeripit; caute equidem in principio exhibendus eſt, et pro conditione aegri, doſi pariter ac praeparatione variandus. Medicamenta quoque amara dicta, chalybeata, exercitium moderatum, et thermae acidulatae eximiam virtutem exſerunt.

Tertia indicatio fuit morbo recidivo occurrere. Quamvis remedia modo memorata huic intentioni quodammodo ſatisfacere videantur, illis tamen ſolis minime nitendum eſt; niſi enim res nonnaturales dictas reſpiciamus, vix aliquid boni vel ex optimis medicamentis expectare poſſumus; de earum

rum igitur moderamine pauca quam breviſſime dicemus.

Quoad aërem, in genere monendum eſt, quod quo purior et ſerenior, eo melior; licet huic variae occurrunt exceptiones: Nunc enim aſthmatici melius ſeſe habent in urbe, nunc ruri; nonnullis juvat aër humidus, aliis vero denſus et ſiccus. In hoc igitur morbo pro regula haberi debet, ut quiſque aërem ſibi appropriatam eligat.

Cibus debet eſſe mitis, ab omni flatulentia alienus, facilis concoctionis, parca ſemel copia ſumendus, ſed ſaepius repetendus. Vinum Rhenanum bene fermentatum, vel vinum *Claret* dictum, aquae temperate commiſtum, potum ſaluberrimum ſuppeditat.

Exercitatio lenis, praeſertim equitatio vel vectio in rheda, vacuo ventriculo et diurno tempore adhibita, praeſtantiſſimos quoque effectus edit.

Omnia animi pathemata magna ſedulo evitanda ſunt; nihil enim recidivam certius inducit, quam

nimia

nimia eorum indulgentia, uti ex omnium fere auctorum teſtimoniis comprobatur.

Summi quoque momenti eſt aegris, ut tempeſtive ſomno ſe darent; hoc enim modo non ſolum evitant, noxas ex nimiis vigiliis emanantes, ſed corpora reſtaurantur ante ſolitum tempus acceſſionis, indeque ad hujus impetum ſuſtinendum (ſi acceſſerit) magis apta redduntur.

Ratio denique habenda eſt evacuationis alvi, ſemper enim neceſſe eſt ut ſoluta teneatur, exhibendo, pro re nata, clyſteres, et talia remedia quae non tantum alvi ejectionem leniter promovent, ſed vi ſimul corroborante gaudent.

FINIS.

E R R A T A,

Pag. 8. *pro* Araeteum *lege* Aretaeum.
p. 13. *pro* gauviſus *lege* gaviſus.
p. 19. *pro* inamicus *lege* inimicus.
p. 21. *pro* gauvi ſus *lege* gaviſus.
p. 22. *pro* odorem et ſaporem *lege* olfactum et guſtum.
p. 23. *pro* Araetaeoque *. *lege* Aretaeoque †.
p. 25. *pro* haec *lege* hi.
p. 27. *pro* poſteria *lege* poſteriora.
p. 31. *pro* ſenſitur *lege* ſentitur.
p. 33. *pro* attribuendam *lege* attribuendum.
p. 36. *pro* iterum *lege* interim.
p. 37. *pro* verſatur *lege* vertatur.
p. 46. *pro* rictionibus *lege* frictionibus.
p. 48. *pro* appropriatam *lege* appropriatum

4

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE CATARACTA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu,*
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES LANDER, A. M. HIBERNUS.

Ad diem 19 Septembris, hora locoque ſolitis.

———*Parnaſſia Laurus*
Parva ſub ingenti Matris ſe ſubjicit umbrâ.
Virg. Georg. II.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVIII.

PATRI SUO

JOHANNES LANDER

S.

NEMO eſt, Pater optime, cui plus te debeam. Tu vitam donâſti, pueritiam erudiiſti, juventutem moribus ornâſti, quicquid in me eſt ingenii liberali manu excoluiſti. Hæc dum reputo, et cætera beneficia in me indies collata, quorum alta mente reponitur ſenſus, cui præ te dicatas vellem haſce, qualeſcunque fuerint, Operæ meæ primitias? Ad te ergo confugiunt, tuumque patrocinium propria ſibi affinitate vendicant. Quod diu vivas felix fauſtuſque tuis ex animo opto, precor filius omni officio devinctus.

DISSERTATIO

MEDICO-CHIRURGICA

INAUGURALIS,

DE

CATARACTA.

CUM in corpore humano nulla pars eſt, oculorum fabricâ admirabilior, nulla functio viſu jucundior et utilior, et nullius damnum infeliciores reddit; hinc morbi nullius curatio ægris magis exoptata devenit, aut ad Medici artiſve honorem magis conducit, quam viſûs perditi reſtitutio, læſi emendatio. Inter mala autem quæ viſum lædunt, ſatis frequenter ſeſe offert Cataracta. Quare, ut inſtitutis almæ hujus Academiæ

rite obſequar, de hac mihi diſſerendum pro ingenio putavi, quod quam ſit exiguum, haud inficiari licet.

Cataracta a Græcis ὑπόχυμα vel ὑπόχυσις dicitur, et Γλαύκωμα ſeu Γλαύκωσις, a Latinis, *ſuffuſio*. Cum vero de nominibus hiſce inter Auctores non conveniat, a propoſito haud alienum videtur exponere, qualibus, quarumque oculi partium, affectionibus veteres hæc nomina impoſuerunt.

Γλαύκωμα ſeu Γλαύκωσιν, humoris cryſtallini affectionem eſſe aſſerunt eorum nonnulli, ut * Oribasius, † Aetius, ‡ Paulus, et || Actuarius. Ὑπόχυμα vero (*ſuffuſionem*) in humore aqueo hærere dicunt ** Celsus, †† Galenus, Aetius, Paulus, et Actuarius. Sed ut modum videamus quo hoſce humores affici putabant, præſertim cum

* Med. collect. lib. 24. cap. 3.

† Tetr. 2. ſermo. 3. cap. l.

‡ De re med. lib. 3. cap. 22. ex Ruf.

|| Med. ſive de meth. med. lib 2. cap. 7.

** Lib. 6. cap. 6.

†† Def. med. 363.

cum * nonnulli noſtræ ætatis Scriptores negant Γλαύκωμα eundem ſignificare morbum ac Cataracta, operæ pretium duxi paucas ex his modo dictis Auctoribus ſententias proponere.

ORIBASIUS, loco citato, dicit "Affectio-"nem, quæ *Glaucedo* a Medicis nominatur, "eſſe ſiccitatem ac nimiam humoris cryſtalli-"ni concretionem, et cæcitatem maxime, "præ omnibus morbis qui oculis accidunt, "inferre."

AETIUS etiam, loco allegato, "Glaucedo "duobus modis dicitur; Glaucedo enim pro-"prie mutatio eſt cryſtallini humoris ad "Glaucum colorem ſiccitaſque ac concretio. "Altera autem Glaucedinis ſpecies ex præ-"greſſa ſuffuſione fit, humore juxta pupillam "vehementiſſime congelato ac reſiccato. "Et hæc ſpecies incurabilis eſt. At proprie "dictam Glaucedinem incipientem aliquando "ſanare datur." Suffuſionem autem † aſſerit "eſſe, præterfuſionem humorum circa pupil-

"lam

* Ut Heiſt. et Hoffm.

† Tetr. 2. ſermo 3. cap. 41.

" lam congelatorum, ut ubi perfecta fuerit
" viſum impediat."

PAULI verba hæc ſunt: " Glaucoma et " Hypochyma veteres unam quandam affecti- " onem eſſe putant: poſteriores autem Glau- " comata humoris cryſtallini affectiones eſſe " putaverunt, qui præ humiditate ad Glau- " cedinem tranſmutaretur: ſuffuſiones vero " eſſe præterfuſionem inter tunicam corni- " formem, et cryſtallinum humorem. Sunt " autem omnia Glaucomata incurabilia, ſuffu- " ſiones autem ſanantur, ſed non omnes."

HINC patet, quod veteres Γλαυκώματα aliquando ſiccitati lentis cryſtallinæ tribuerunt, aliquando humiditati; ſuffuſiones autem concretionibus quibuſdam in humore aqueo hærentibus. Suffuſionem *Cataractæ* nomine donâſſe, incultiori ſæculo, Medicos, dicit * PLEMPIUS. At † alius Auctor inquit, " Antiquos veneticos oculos Cataractas ap- " pellâſſe."

Καταράκτης

* Opthal. cap. 9. lib. 5.

† Galen. lib de Oc. adſcrip. § 4. cap. 4.

Καταράκτης vel Καταῤῥάκτης (*a καταράσσω impetuoſe deturbo*) ſignificat locum abruptum et præcipitem in flumine, unde aqua ruit potius quam fluit *. Hinc morbi nomen, ut † quidam velint, et natura; eſt enim (ſecundum illos) humor alienus in oculos irruptus. Eſt etiam Καταράκτης *vectis*, *porta*, et ‡ nonnulli morbum faciunt ab illis portis oppidorum et caſtrorum quæ ſupernè cadentes omnem prohibent tranſitum; eodem modo a capite cadens humor in oculos luci et viſioni tranſitum adimit. || Alii iterum ſimilitudine morbum deducunt a valvis mobilibus, quibus aquæ impetus coërcetur; nam Cataractam faciunt ita eſſe valvam in humore aqueo poſitam et objectam ſpirituum viſivorum itineri.

** Plempius aſſerit, "in cryſtallino, et pone "cryſtallinum in vitreo humore poſſe conſiſtere "materiam ſuffuſam; fatetur autem rarius in "vitreo,

* Ut ſunt Nili Cataractæ; quâ ratione nubes cum impetu imbrem profundentes, *Cataractas* Cœli apertas dicimus.

† Vide Plemp. ophthal. lib. v. cap. 9.

‡ Vide Hieronym. Fabric. ab Aquapend. cap. de ſuffuſione.

|| Vide Boerh. de morb. oc. cap. de Cataracta.

** Capite citato.

" vitreo, rariſſime in cryſtallino, ac fere ſemper " in aqueo obſervari." Et ab humore aliquo vel pellicula concreſcente ad foramen uveæ, vel nonnihil a tergo ipſius in humore aqueo Cataractæ fieri plerumque credebantur. Ad initium autem hujus ſæculi, * Gallorum nobile par, diſſectionibus occulorum Cataractis laborantium repetitis, demonſtraverunt nullam in iis extitiſſe pelliculam aut tunicam, ſed lentem cryſtallinam ſemper obnubilam et opacam apparuiſſe †: Et hanc veram eſſe Cataractæ cauſam ad mathematicam fere certitunem primum reduxiſſe PETITUM dicit ‡ HALLERUS. Sexaginta autem fere annorum ſpatio ante hoc tempus cognitum fuit PETRO BORELLO, QUAREO GASSENDO, RAUHAULTIO, WERNERO ROLFINCKIO, aliiſque. At quoniam oculi tali morbo laborantes non inſpiciebantur, doctrina nova negligebatur,

et,

* Antoin. Maitreian et Briſſau

† Præterea ſectiones multiplices oculorum tali morbo affectorum, ut et operationes Davielii, Sharpii, &c. Cataractam lentis cryſtallinæ morbum fere ſemper eſſe comprobant.

‡ In notis Boerh. prælect. in § 528.

et, graſſante præjudicio, a nemine credebatur. Inter eos qui contra hanc doctrinam pugnabant præcipuus erat WOOLHOUSIUS, cujus tamen argumenta ab HEISTERO ſolide refutari * dicuntur. His argumentis aliorumque obſervationibus præjudicium vetus erat abdicatum, novaque doctrina ab omnibus fere receptum; cui etiam non parum auxilii afferebant prælectiones BOERHAVII tunc temporis publice inſtitutæ. His ergo rationibus † quidam innixi confirmatique Cataractam definiverunt eſſe morbum lentis cryſtallinæ, totam qui reddit opacam, &c. At novæ ſententiæ ‡ propugnatores etiam ipſi non dicunt Cataractam ſemper, ſed frequentiſſime ab humore cryſtallino, rariſſime autem a tunica, præter naturam in humore aqueo genitâ, oriri. Et ſuffuſionem (qualem vulgo deſcribunt Medici)

* Ea enim non vidi.

† Ut Sharpius, Miles, aliique.

‡ Ut Heiſterus, cujus verba haec ſunt " ex ipſâ uveâ minutæ quædam pelliculæ, quales et me videre memini, ſubortæ, " quæ in tunicam forte degenerare quandoque poſſunt."

dici) nonnunquam contingere, eſt celeberrimi ſententia * MORGAGNI; veramque humoris aquei opacitatem ſe vidiſſe † BOERHAAVIUS dicit. Porro, inciſâ corneâ, membranam extraxit ‡ MERY.

QUONIAM ergo de hujus morbi natura atque cauſa, Auctores ita diſſentire videmus, et quoniam phænomena quibus dignoſci ſolet ſatis manifeſta ſunt, rectius videtur ex his quam ex illis ejus definitionem eligere. Igitur Cataractam adeſſe dicimus, quando viſus lædatur vel et integre tollatur, cum opacitate, colore alieno, ſpectabili in oculo, ſe pupillæ, ubi olim nullus erat color, opponente.

COLOR alienus in oculo Cataractâ laborante obſervatus, varius eſt; plerumque colorem refert margaritarum, aut ferri nitentis, ſæpe albicans eſt, et gryſeus, fuſcus, cineritius, flavus etiam, et aliquando viridis; nigrum autem

* Adverſ. 6. animadverſ. 74.

† In Prælect. in § 840.

‡ Mem. de l'Acad. de ſcien. 1707.

tem colorem Cataractam unquam ſibi adſciſcere, non conſtat, et licet aliquando obſervari concedamus, dubii tamen hærent Auctores, num ſit ſpecies Cataractæ, num potius ſignum guttæ ſerenæ. Interdum ſubviridis ſive glauci coloris apparet, unde * γλαυκώματος nomen acquiſiviſſe videtur. Hujuſce coloris Cataractarum ſitum, cum humoris vitrei ſitu accurate convenire, HEISTERUS affirmat, et tunc partem obfuſcatam altius ſive profundius in oculo deliteſcere vult. Hinc glaucoma diverſum a Cataracta morbum † nonnulli fecerunt.

VARIAS Cataractarum ſpecies, harumque iterum ſubdiviſiones a Scriptoribus enumeratas, utpote ad memoriam potius turbandam quam intellectum inſtituendum pertinentes, haud operæ pretium omnes recenſere judicavi. In veras tamen et ſpurias dividi commode

B poſſunt;

* Γλαυκος *cæſius, cæruleus a* γλαυσσω *ſplendeo.*

† Sed ex ſupra dictis conſtat, non ita nomine uti veteres. Galenus etiam (lib. 1. de ſympt. cauſis cap. 2.) nullam vitrei affectionem commemoravit, quaſi is nullo pacto poſſit viſioni obeſſe.

poſſunt; in illis humor cryſtallinus, in his aqueus afficitur.

Antequam in cauſas, quæ lentem ad radios lucis tranſmittendos ineptam reddunt, inquiramus, alienum non videtur pauca de ejus fabrica dicere. * Lens cryſtallina ſiccata componi evidenter apparet ex multis laminis, tenuibus, concentricis, ſibi ſuccedentibus, quæ ex fibris ſuo intortu elegantiſſime figuratis conſtare videntur. Inter has laminas continetur liquor pellucidus, qui per ſenium in colorem flavum abit. Intimæ laminæ propius ſibi incumbentes duriorem quaſi nucleum conficiunt. Denſior eſt vel aqueo vel vitreo humore.

Figuram habet duarum portionum convexitatis ellipticæ, cujus pars poſterior, magis convexa quam anterior, eſt. In puerili autem ætate ad ſphæram propius accedit, quam in ſenili; adeo ut in recens nato pene

* Haller. Prim. lin. Phiſ. § 530.

pene ſphærica ſit, diametro a parte anteriori ad poſteriorem parum differente a diametro tranſverſâ; (et inter alias hæc forte ratio eſt cur pueri plerumque myopici ſunt.) Proveniente vero ætate, gradatim minuitur diameter anterior; hinc ſenſim complanantur pars ſuperficiei anterior et poſterior, ita ut ad annum ætatis trigeſimum formam telluris ad polos referunt. Poſtea ejus figura non multum mutari obſervatur. Secundum calculum ingenioſi PETITI, ſuperficies ejus anterior pene æquat ſegmentum ſphæræ, cujus diameter inter ſex et novem lineas unciæ eſt, fere autem inter ſeptem cum dimidia vel octo. Poſterior autem ſuperficies plerumque eſt ſegmentum ſphæræ, cujus diameter quinque linearum non ſuperat.

UT figura lentis et convexitas, ita color etiam et conſiſtentia cum ætate variant: Nam in fœtù, tam cryſtallinus quam vitreus plerumque rubicunduli coloris eſt. Sed haud ita

multo

multo poſt pellucidus fit et abſque colore; in quo ſtatu manet donec ad acmen pertingat homo. Poſt vigeſimum autem quintum vel trigeſimum ætatis annum, colorem ſubflavum ſenſim contrahit, qui uſque ad ſuptuageſimum vel octogeſimum annum augetur, quo tempore ſuccini flavi colorem refert; hanc tamen flavedinem comitatur ſplendor pellucidus. * PETITUS primus hanc coloris mutationem obſervabat, quem ſequuntur † WINSLOWUS, ‡ MORGAGNI, et || HALLERUS. Hæc flavedo a centro lentis fere oritur, et ad circumferentiam excurrit, ſic ut flavus iſte nucleus frequenter molliori (at minimè flavâ) ſubſtantiâ circumfuſus, obſervari poteſt. Sed lens humana aëri expoſita atque ſiccata, flava fit, quod vix unquam aliorum animalium lenti contingit. Eadem fere ratione et conſiſtentia mutatur, mollis et ſibi conſiſtens ad annum ætatis

* Mem. de l' Acad. de Scien. anno 1726, and 1730.

† Anat. art. 2. ſect. 10. § 10.

‡ Epiſt. 18. ſect. 26.

|| Prim. lin. Phiſiol. § 510.

ætatis vigeſimum, poſtea in media mole gradatim dureſcens.

LENS cryſtallina in vitrei humoris ſinu ita ſita eſt, ut axis viſionis per centrum ejus tranſiret. Continetur in membranâ firmâ, elaſticâ, tenui, pellucidâ, Capſula dictâ, inter quam et lentem paululum aquæ ſemper reperitur*. Hæc oritur a tunica vitrea quæ ad lentis ambitum in duas laminas diſcedens, eam anterius et poſterius complectitur †. Connectitur etiam circulo ciliari per ligamenta ciliaria, quæ incumbunt vitreo humori, et lentis capſulæ adhærent; et horum ligamentorum ope mobilitatem habere ‡ dicitur.

LENTEM cryſtallinam vaſis ſcatere || quidam negant, ** alii admittunt. Illi, qui vaſa negant,

* Vid. Med. Eſſays, vol. 4. p. 157. et ſequent.

† Winſl. Anat. § 10. art. 2. § 3. ſed Hallerus dicit, lentem veram habere Capſulam propriam, quæ poſterius certo, anterius non niſi probabiliter, vitrea membrana obducitur, vide Boerh. prælect. in § 524. n. *b.*

‡ Med. Eſſays, vol. 4. p. 160,

|| Vide p. 157. ejuſd.

** Haller. Prim. lin. Phiſiol. § 510. Boerh. Inſt. 524. et Winſlow. Anat. ſect. 10. art. 2.

gant, lentem ab aqua quæ inter eam et capſulam eſt, vegetabilium more, nutriri volunt. Nullam connectionis mentionem fecit * MORGAGNI, etſi aquam obſervaret; et PETITUS omnino negat ulla vaſa a capſula lentem ſubire. Sed in hac re potiſſimùm valent experimenta ALBINI, qui in oculo balenæ vaſa demonſtravit quæ per ligamenta ciliaria ad lentem penetravere †. Et nunc in fœtu, poſt felicem injectionem, vaſa obſervantur non ſolum in capſulam percurrentia, verum etiam in lentis ipſius ſubſtantiam intrantia ‡.

OPACARI lens poteſt, ſive ipſius, ſive capſulæ, ſive liquorum pellucidorum vitio. Si enim ex ulla cauſa, aqua, quæ habitat inter capſulam et lentem, deficiat, abundet, vel ullo modo degeneret, lens opaca redditur; et in priori caſu, ſicca, atque ſimilis lenti ex oculo extractæ

* Adverſ. 6. p. 90.

† Vide Boerh. Prælect. § 524. n. *g*.

‡ Vide Winſlow. Anat. ſect. 10. art. 2. § 9, et Boerh. Prælect. § 524. n. *g*.

extractæ ſiccatæque, et Cataracta naſcitur. Obfuſcatur capſula, ſi minutiſſima ejus vaſa obſtruantur, inaniantur, collabantur, vel concreſcant.

Causæ procatarcticæ ſunt omnia quæ calorem in oculo vel augere vel minuere poſſunt. Sic ab inflammationibus oculorum internis*, quando diuturnæ et acres fuerint, ortum aliquando duxerunt Cataractæ: Inflammationem corneæ cicatrices potius ſequi ſolent. Ab aucto calore, vaſa relaxata alienos globulos admittunt, ſicque oculi diaphaneïtatem impediant: ab imminuto autem calore, vaſa nimis contracta liquores ſuos non admittunt.

In ipſa lente, ſi illi nulla ſint vaſcula communicantia, nec inflammatio nec obſtructio locum habere poteſt; affici autem queat ratione liquoris pellucidi, qui, inflammatâ vel obſtructâ

* A dolore etiam in oculi fundo, ſive a cauſa venerea, ſive ab alia quacunque, ſi diuturnus fuerit, Cataractæ provenire memorantur. Vide Boerh. de morb. ocul. cap. de Cataracta.

obſtructâ capſulâ, debitâ copiâ non interjicietur; hinc capſula lenti contigua deveniet, opacæque fient. Sin illi vaſcula concedamus, dignoſci vix poteſt inflammatio, licet adſit, in minutis adeo vaſculis.

Ab imminuto calore originem derivare Cataractam probari videtur, ex hac obſervatione, ſcil. * quod oculi ſenum fere caliginoſi ſunt. In his enim circulatio deficit, ergo et reparatio humorum pellucidorum. Præterea omnes ſecretiones tenuiores in ſenectute minui obſervantur. Huc referri poſſunt affluxus humorum verſus caput, mæror et triſtitia †. Ex epilepſia Cataractam in infante vidit ‡ Boerhaavius; tempore enim paroxyſmi epileptici oculi incredibili celeritate rotantur, unde vaſcula quædam interna rumpi poterint.

A

* Vide Boerh. de morb. oc. cap. de Catar. ubi dicitur quod
" homines raro ad ultimam perveniunt ſenectutem, quin in uno
" vel altero oculo, parvâ vel magnâ Cataractâ laborant"

† Hoffm. diſſert. de Cat.

‡ De morb. oc. cap. ſupra citato.

A cauſis etiam externis * Cataractæ aliquando proveniunt, et præſertim ab injuriis; ſic ſubitas ab ictu Cataractas legimus †; "erumpit enim lens, adhæret iridi, et continuò fit opaca." A vi externa, ut contuſione, vulnere, &c. ſæpiſſime ſequitur inflammatio Cataractæ parens. His etiam addi poſſit frequens ſolis aut ignis inſpectio ‡; unde fabri ferrarii, chemici, campanarii, et metallurgi, huic oculorum morbo ſunt || obnoxii. Medicamenta quoque calidiora oculis applicata hoc vitium procreâſſe ** memorantur. Antonius Maitreian Cataractæ cauſam adducens, magno conatu magnas nugas dicit, ſcil. "acidum, ſeſe in poros lentis inſinuando, fermentum ejus radicale diſſolvere, particulas molles conjungere, &c. ††"

 Signa

* Vide St. Ives of the diſ. of the eyes, part 2. chap. 18.

† Boerh. prælect. § 524. n. *b*.

‡ Heiſt. Cheir. part. 2. ſect. 2. cap. 55. de ſuff.

|| Ramaz. de morb. artif.

** Boerh. prælect. § 527.

†† Vide Hoffm. diſſert. de Cataract.

Signa Cataractæ incipientis, partim ex ægri narratione, partim in oculum inſpectione, explorata deſumuntur.

1*mo*, Ægri narratione.] Omnes fere, qui hoc ſuſtinuere malum, de hebetudine visûs primum conqueſti ſunt; vident enim quaſi per nebulam fumumve: minora objecta non recte diſtinguere poſſunt. Quibuſdam muſcæ volitantes floccique in aëre hærentes, aliis araneorum texturæ atque filamenta, aliis punctula nigra, ſcintillæ, imagines, ante oculos obverſari videntur. Hæc ultima huic malo non propria ſunt.

2*do*, Inspectione in oculum.] Si pupillam aliquo inquinatam colore (nam ſuapte naturâ nigra eſt) cernamus, Cataracta prædicenda eſt.

Quænam ſunt ſignorum rationes nunc eſt dicendum. Signa Cataractæ jam formatæ facillime cognoſcuntur; nam ex definitione patent: incipientis magis ſunt obſcura.

1*mo*,

1*mo*, Hebetudo viſûs, (*i. e.* quando vident quaſi per nebulam fumumve,) a radiis lucis, qui ab aliquo objecto veniunt, partim interceptis, et in retinam non perfecte tranſmiſſis, oritur. Incipiente enim morbo, liquores pellucidos ſenſim degenerare aut deficere, vel capſulam obſcurari, obſervamus.

2*do*, Objecta minora non recte diſtinguere poſſunt.] Ex minoribus objectis pauciores radii dimanant, quorum nonnullis in tranſitu ad retinam interceptis, ob lentem minus pellucidam, neceſſum eſt talia confusè tantum ſpectari. Tum pupillæ contractio neceſſaria eſt, ut minuta objecta diſtincte videantur; ſed hæc pendet a ſtimulo lucis in retinam, qui in Cataracta incipiente obtunditur. Præterea, ut objecta diſtincte videantur, mobilem eſſe lentem oportet; ſed mobilitas lentis ab integritate ligamenti ciliaris pendet *; in Cataracta vero lens et augeri et minui inventa fuit, † unde ligamenta

* Vide Med. Eſſays, vol. 4. p. 160.
† Vide Boerh. de morb. oc.

ligamenta ciliaria aut relaxari aut contrahi, ex Anatomicis conſtat; ergo tollitur mobilitas lentis. Internæ quæ hoc malum excitare valent cauſæ, ligamenta quoque ciliaria afficere poſſunt, quorum actione vel minimè læſâ, oculus ut objecta (forſan minora) diſtincte videat, accommodare ſe non valet.

3*tio*, QUIBUSDAM muſcæ, &c.] Macularum duæ ſunt ſpecies; quædam (quaſi muſcæ volitantes) quæ locum mutant reſpectu axis viſionis, quædam quæ non: illæ in humore aqueo, hæ in reliquis oculi partibus, ſedem habent *. Vaſcula oculi tunc temporis nimis aperta, pertranſire ſinunt particulas heterogeneas, quæ humorum diaphaneitatem turbando et impediendo, muſcarum, filamentorum, &c. ſpeciem præbent.

4*to*, SCINTILLÆ aut maculæ luminoſæ, magna ex parte, a particulis oleoſis, diaphanis, in aqueo humore fluitantibus, oriri affirmantur: hæ

* Vide Med. Eſſays, vol. 4. p. 211.

hæ enim ſecutæ naturam olei, majorem refractionis vim habere demonſtratæ ſunt.

CURATIONEM admittere Cataractas incipientes conſentiunt fere omnes. "Inter initia "nonnunquam certis obſervationibus diſcu- "titur*". HEISTERUS † affirmat, "quoſ- "dam, ſolius naturæ beneficio, abſque omni "medicamentorum atque ferramentorum uſu, "convaleſcere; ſed hoc rariſſime evenit." Tentata fuit curatio remediis tum internis tum externis. "Sanguinem ex fronte vel na- "ribus mittere, in tempore venas adurere, "gargarizando pituitam evocare, ſuffumiga- "re, oculos acribus medicamentis inunge- "re expedit;" ſic ‡ CELSUS. Venæſectionem etiam commendat || AETIUS; "Curandi ſunt qui ſuffuſione tentantur in "principio,

* Celſ. lib. 6. cap. 6.

† Cheir. cap. de ſuffuſ.

‡ Loco citato.

|| Tetr. 2. ſerm. 3.

" principio, ſanguinis de cubito detractio-
" ne."

Si æger plethoricus ſit, ſi humorum verſus oculos affluxus, aut inflammatio in cauſa ſint, ſanguinem mittere neceſſarium eſt. Cucurbitulas locis conſuetis accommodare, veſicatoria applicare, et aliquamdiu aperta ſervare, adjuvat. Setacea etiam in cervice, et fonticuli in brachio, ſubſidium ferre pollicentur. Hæc derivatione, forſan et particularum morbidarum evacuatione agunt. * Boerhaavius dicit, inter interna remedia, mercurialia fere ſola Cataractas diſſolvere; et ex pulvere ſternutatorio, in quo fuit Mercurius dulcis, optimos vidiſſe effectus affirmat. Sulphure antimonii fixato ſuffuſionem aliquoties diſcuſſam eſſe † legimus. Ad reſerandam lentis obſtructionem, et materiem peccantem eliminandam, laxantia et evacuantia conducunt. Ad eundem tendunt finem ſudorifera, ut decocta lignorum,

* De morb. oc.

† Hoff. Diſſert. de Cat.

lignorum, &c. quæ ſanguinem corrigunt et puriorem reddunt. Errhina etiam commendari ſolent, utpote quæ abundantes humores per os et nares derivant et educunt; ſtimulant ſimul oculum, ejuſque vaſa in fortiores oſcillatorios motus agitant. * BOYLEUS affirmat, ſe ſolo turpetho minerali PARACELSI, ad grana tria naribus attracto, multos a cæcitate ſanâſſe. Maſticatoria etiam et collyria ab Auctoribus laudantur; externa autem omnia quæ oculis applicari ſolent, ſuſpecta eſſe debent; oculum enim intrari nequeunt ſine ruptura aut exulceratione corneæ, unde opaca redderetur. Porro certo certius eſt, quod acria omnia oculum exulcerant, inflammationemque excitant.

QUÆ vero ab imminuto in oculo calore exoriuntur Cataractæ, in ſenectute plerumque contingunt, ſecretionibus tenuioribus tunc deficientibus, et liquoribus pellucidis a pelluciditate

* In Philoſoph. Experim. vide Hoffm. Diſſert. de Cat.

tate naturaliter degenerantibus. Hæ ergo incurabiles merito æſtimantur.

Antequam de curatione Cataractæ jam formatæ dicamus (ejus ſcil. quæ manum requirat,) idoneum videtur ſigna exponere quibus cognoſcere licet, an operatio inſtitui debet necne.

Omnes fere qui de hoc morbo ſcripſerunt uno ore clamant, unicum tantum eſſe ſtatum, quo convenit operatio; et hunc vocant ejus maturitatem. "Expectandum eſt, donec "jam non fluere, ſed duritie quadam concre-"viſſe videatur *." "Ad operationem felici-"ter inſtituendam (inquit Heisterus †) "plurimum refert cognoviſſe, ſatiſne jam matu-"ra an immatura adhuc Cataracta ſit, præſer-"tim quod in Cataractis immaturis aliena pror-"ſus atque noxia operatio eſt." Cataractæ (ut

* Celſ. lib. 7. cap. 7.

† Cheir. cap. de ſuf.

(ut * quidam volunt) ſimiles ſunt fructibus quos carpere non oportet, antequam idoneam maturitatem ſunt aſſecuti, et nonnullæ, non niſi quatuor vel quinque annis, perfecte matureſcunt. Hoc autem regulare incrementum duritici humoris cryſtallini præciſe negat SHARPIUS † dicens, Se non modo Cataractas vidiſſe, anno ſæpe ab ortu ipſarum ſecundo aut tertio, quæ tactum acûs perferre non poſſent, quin molles lacteæque fluerent; ſed e contrario et alias, quæ poſt menſem, imo et diem, quartum vel quintum, (præſertim ſi ictum punctumve ſecutæ ſunt,) debitâ potirentur conſiſtentiâ. His innixus obſervationibus, concludit, quod tunc temporis convenit operatio, quando in totum opacæ fiunt. Nullum enim eſt tempus definitum quo generantur Cataractæ: aliquando citius, aliquando tardius progreditur morbus. Una nocte Cataractam

 oriri

* St. Ives diſeaſ. of the eyes, chapt. 19. part 2.

† Treatiſe of the operations of Surgery, lib. 2. cap. 8.

oriri et viſum periiſſe vidit Boerhaavius *. Exempla ſuffuſionis unius ſpatio diei exortæ ac maturatæ apud alios obſervatores occurrunt †. Nunc intra annum unum, nunc intra aliquot menſes, pro varietate humorum, diſpoſitione, externorumque irruentium impetu, ad maturitatem pertingunt, proindeque operationi aptæ evadunt ‡. Igitur ex colore perlato et opacitate dignoſcendæ ſunt maturitas earum et firmitas.

Vitii hujus plures ſpecies ſunt; quædam ſanabiles, quædam quæ curationem non admittunt. Inter poſteriores habentur illæ, in quibus retina afficitur, aut Cataracta iridi adhæret. Si æger, loco tenebricoſo poſitus, partem inferiorem globumve oculi digito fricet, tunc, oculum a digito deflectens, videt, ad partem oppoſitam, circulum colorum luminoſorum aut igneorum, venuſtis illis haud abſimilium,

* De morb. oc. cap. de Cataract.

† Fernel. path. lib. 5. cap. 5. et Fabric. Hildan. cent. 5. obſerv. 14.

‡ Hoffm. Diſſert. de Cataract.

ſimilium, qui pavonis caudam exornant, cognoſcimus retinam non eſſe affectam. Hi enim colores nullam aliam agnoſcunt cauſam, niſi talem motum in retina preſſione atque motu digiti excitatum, qualem et alias ibi a luce excitatur, quæ a parte oppoſita ad viſionem celebrandam * venit; ſin, tali frictione adhibitâ, nullus coloratus circulus appareat, ſignum eſt nervi paralytici aut inſenſilis. Sed talis circuli apparitio evidenter oſtendit nervum nequaquam eſſe affectum; de operationis ergo ſucceſſu nil deſperandum, licet etiam pupilla immota maneret. Immobilitas enim pupillæ non ſemper ab inſenſilitate nervi provenit, ſed interdum debetur Cataractæ preſſioni in uveam, vel adhæſioni; quorum neutrum ſignum indubitatum operationis ſupervacaneæ æſtimari debet †. Si etiam æger in ſumma luce poſitus nil ſentit, indicium eſt retinæ vitiatæ.

* Neuton's Optics, quer. 16.

† Sharpius enim dicit ſe unam hujuſce ſpeciei curare, ſed adhæſio exigua erat. Treatiſe of the operations of Surgery, chapt. 29.

Si pupilla (ſenſibili exiſtente retinâ) nec in clara luce conſtringitur, nec in debiliori aut tenebris dilatatur, ſed in eadem ſemper amplitudine perſtat, tunc iridi Cataractam adhærere noſcimus. De mobilitate autem pupillæ melius judicabitur, ſi clauſæ palpebræ leviter agitentur digitiſque contrectentur, et oculus ſubito aperiatur. Hæc adhæſio externe inſpicienti aliquando patet.

Ex colore etiam de aptitudine Cataractarum ad operationem obeundam judicatur. Si colorem habent perlarum, ſi cineritium, ſi etiam a latere ſenſum aliquem fulgoris relinquunt, ſpes ſupereſt. Si color cæruleus eſt, ſi albus, lacteus, viridis vel flavus, vix unquam ſuccurritur: "Fere vero pejor eſt quo ex graviore "morbo, majoribuſve capitis doloribus, vel "ictu vehementiore, orta eſt: neque idonea "ſenilis ætas eſt, quæ ſine novo vitio tamen "aciem hebetem habet, ac ne puerilis qui"dem, ſed inter has media ætas *."

Etsi

* Celſus, lib. 7. cap. 7.

Etsi plurimæ methodi ſuſceptam operationem explere propoſitæ ſunt, etſi ingens acuum hamarumque varietas excogitata fuit, his tamen omnibus prætermiſſis, tota conſiderari poteſt operatio utpote in duas ſpecies redacta, depreſſionem ſcil. et extractionem. Quarum utraque, ſicut et aliæ res, ſua habet commoda et incommoda. Sed, quænam anteponenda ſit, ut recte judicemus, operationes ſeparatim proponere decet, et expendere quid utrique accidit.

" Ad ægrotantis præparationem quod at-
" tinet, noxios humores per alvum, ſangui-
" nem vero abundantem per venas educere
" convenit, ad inflammationem præcaven-
" dam. Ante operationem clyſterio etiam
" quodam pro alvo ſolvenda utendum eſt;
" niſi ea forte jam per ſe rite reſpondeat.
" Ne facile etiam ſub ipſum opus hominem
" mens deficiat, haud alienum videtur, cibi
" quidpiam, vel roborantem ſorbitionem
" quandam aut juſculum, ægrotanti prius
" porrigere,

" porrigere, quam ad operationem Medicus " aggreditur *."

Antiqua operatio ſic aggreditur: Æger in lumine et ſedili convenientibus collocandus eſt, ſic ut contra Medicus paulo altius ſedeat. Pulvinar pone dorſum ponendum eſt, ita ut corpus antrorſum inclinet, caputque Medico appropinquet, quod tunc paulo in pectus miniſtri reclinandum eſt. Quinetiam ipſe oculus qui curabitur immobilior faciendus eſt, ſuper alterum lanâ impoſitâ et deligatâ †; nam levi motu eripi acies in perpetuum poteſt. Diligenter antea monendum eſt ægro, ut quietus et immobilis perſtet. Imperandum quoque eſt, ut verſus nares oculum vertat, ſic ut amplam ſatis albi oculi partem exhibeat. Tunc, miniſtro palpebram ſuperiorem attollente, Medicoque inferiorem deprimente;

* Heiſter. Cheir.

† Speculum oculi non commendat Sharpius, quia oculus, humoris aquei per puncturam effluxu, aliquantulum exinanitus, depreſſionem Cataractæ promptius admittit, quam ſi inſtrumento eſſet compreſſus.

mente, * Acus ad duas cum dimidia lineas a cornea, et ad quartam lineæ partem ſub circulo horizontali demittenda eſt, e regione mediæ ſuffuſionis, ſic ne qua vena lædatur. Tunicas penetrari cognoſcimus quando prementi nihil renititur. Inclinanda ſtatim acus ad ipſam ſuffuſionem eſt, leniterque ibi verti, et paulatim eam deducere infra regionem pupillæ debet. Si hæſit, curatio expleta eſt; ſi ſubinde redit, iterum deprimenda eſt, hocque toties fiat quoties aſcendit. Statim, depreſſâ Cataractâ, retrahenda eſt pauxillulum acus, ne ab ea in lentem intruſa iterum elevetur. Si Cataracta membranacea ſit, poſt fluidi effluxum magis concidenda eſt, et in plures partes diſſipanda,

* Aptiſſimæ illæ ſunt quæ in Heiſt. Cheir. tab. 17. fig. 5. 6. 7. delineantur, monetque ut exactiſſime ſemper ſint perpolitæ, ne forte propter aſperitudinem ſeu rubiginem difficilius in oculum penetrent, vel graviter quoque ipſum lædant aut lacerent.

panda *, quæ ſingulæ et facilius conduntur et minus late officiunt. Sin uniformiter ſit fluida, aut admodum elaſtica, horrendam inflammationem, rei bene gerendæ conatu inani, concitemus.

Curari ſiniſter oculus dextrâ manu, dexter ſiniſtrâ, debet. Sin in dextro oculo Cataracta ſit, et Medicus non tam prompte ſiniſtrâ manu uti poſſit quam dextrâ, pone ægrum ſiſtere dextraque uti, licet.

Si Cataracta tam firmiter uveæ adhereat, ut vix inde ſeparari queat, prodeſt (ſecundum Heisterum) "ſubinde eam in medio perfo-
" rare; ita enim radii in oculi fundum per hoc
" foramen intrare poſſunt, et ægris aliqualis
" viſus interdum reſtituitur; quod fortaſſe eo
" in caſu optime ſuccedet, ubi cryſtallinus
" valde

* Freitagius (quem Heiſterus citat) ſe acubus hamatis uti jactabat, quibus Cataractam ex oculo educere poterat. Sed Heiſterus illi non aſſentit, quia, " neque hæc acus, " neque artificium ejus ſatis perſpicue deſcripta ſunt; et " dubium eſt, cur in pelliculæ extractione non etiam tunicæ " oculi lacerentur."

" valde tenuis ſit." SHARPIUS autem ſuadet, ut iris findatur, et monet ſpeculum oculi tunc admodum eſſe neceſſarium; quia membrana, poſt effluxum humoris aquei flaccida facta, nullam reſiſtentiam acui præbet quin laceretur.

PERACTA operatione, ſuper oculum imponendum eſt ſplenium aquâ roſarum madefactum, et inſuper pauxillo ſpiritu vini camphorati conſperſum. Ab omnibus abſtinendum eſt collyriis quibus commiſcentur pulveres; diſſipatis enim partibus tenuioribus, in oculo relinquitur materies arenoſa, nocens cui ineſt qualitas.

OPORTET utrumque ſemper oculum per injectam faſciam devincire; oculus enim qui operationem ſuſtinuerat, ſani motus ſequendo, in inflammationis periculum veniet, aut ſuffuſionis iterum aſcendentis. Oportet etiam in dorſum cubare, caput bene multis pulvinaribus ſuffultum atque erectum ſervare, ſtrenue

per octiduum conquieſcere, a cibis durioribus, ſermone intenſiori, ſternutamentis, tuſſi atque riſu vehementiori, tamdiu abſtinere, donec penitus inſidere parti oculi inferiori ſuffuſſio animadvertitur *.

Sanguinis aliquid ſub ipſa operatione in oculum aliquando effluit, qui humorem aqueum turbidum reddit; tunc in Medico nil ſit moræ quin operationem dicto citius abſolvat, et ſplenium quam diligentiſſime adhibeat †. Ab humore autem aqueo effluente, non eſt quod de oculi ſanitate magnopere timeamus. Inflammationi accedenti adhibenda ea ſunt, quæ ipſam cohibere ſolent.

In

* Vomitum haud raro hanc operationem ſequi, vel poſt unam alteramve horam, vel etiam nocte demum proxime ſequenti aliquoties obſervavit Heiſterus, monetque nihil fere magis, cum ad præcavenda tum ad levanda etiam mala quævis accedentia hic proficit, quam ſi ſuavis ſomnus haud diu poſt peractam operationem anodyna quadam emulſione ægro conciliatur.

† Sanguinem in anteriorem oculi cameram fluere non magni momenti eſt (ſecundum Davielium) cui ſæpe evenit, et nihilo ſecius operationes feliciter cederent. Ab inciſione enim effluxit ſanguis, et, quo minus perfectam efficeret operationem, non impedivit. Hoc in nova operatione evenit.

In operatione nova (ſcil. per extractionem lentis) æger eodem ſitu ac in priori collocandus eſt. In inferiori corneæ parte facienda eſt inciſio, vel cum Davielii lanceola vel forfice, vel Sharpii cultro. Si lentis capſula admodum friabilis eſt, per ſe cedet; ſi autem non facile cedit, incidenda eſt apice acûs communis ocularIæ. Si poſt hanc inciſionem, actio naturalis muſculorum oculi ſufficiat ad exprimendam Cataractam, bene eſt; ſi vero non, ad auxilium vocanda eſt preſſura, quæ ut quam ſit leniſſima Medico maxime refert, aliter imminet periculum ne vitreus exprimatur humor, qui ſi nimiâ effluxerit copiâ, actum eſt de viſu.

Lente extractâ, avertendus a lumine æger eſt, et aliquamdiu claudendæ palpebræ ſunt; tum ſi, palpebris leniter apertis, objecta mediocriter diſtinguere poſſit, operationem rite peractam judicatur; ſi vero non, id imprimis veriſimile videtur, quod ne nunc quidam pertranſire poſſunt radii lucis ad oculi fundum,

obſtructâ

obſtructâ viâ, vel a parte lentis relictâ, vel ipſâ capſulâ morbo affectâ. In utroque caſu, pars viſioni nocens amoveatur neceſſum eſt, ſi lentis, inſtrumento (quod *curette* vocatur,) ſi capſulæ pars ſit, quovis alio acuto parvoque ferramento *.

PERACTA operatione, oculus leniter deligandus eſt, eademque quæ in priori applicanda. Si poſtea æger de capitis aut de lancinantibus in oculo doloribus conqueratur, opportuna eſt ſanguinis miſſio, quæ iterum iterumque repetenda eſt, donec imminuta abſcedunt ſymptomata. Medicamentis præterea mollientibus aut reſolventibus fovere idoneum erit. Modico cibo, cubiculoque tenebroſo uti, et octiduum lectulo ſe continere debet.

HISCE

* Taylorus, Medicus circumforaneus, novam hujus operationis inſtituendæ methodum edidit, quam breviter, ex plurimis ambagibus atque ſubtiliſſimis cautelis ſive circumſtantiis, deſcripſit Heiſterus; quas dicit ei ſupervacuas eſſe videri, et a quamplurimis vix intelligi, imo etiam tam accurate vix unquam in operatione, vel ab ipſo auctore obſervari poterunt.

Hisce duabus operationibus, quanta potui perſpicuitate, pertractatis, ad ultimum propoſiti ſcopum nunc eſt perventum, ſcil. utramque medendi methodum inter ſe comparare, ut exinde cernere poſſimus quænam anteferenda ſit.

Negari non poteſt quin ſua incommoda habet illa methodus quæ per extractionem abſolvitur: talia autem fere ſunt, quæ, ſi a Medico ſatis præcautum et proviſum eſt, evitari poſſunt. Ipſa in operatione aliquam humoris vitrei partem nonnunquam elabi diximus; quod ne fiat præcaveri poteſt, ſi modo oculi globus non nimis prematur, dum lentem extrahere diligenter incumbit Medicus. Si acus qua pertuſa fuit cornea derepente educatur, iris aquei humoris effluxum ſequi poteſt, et inter parvi vulneris labia comprimi. Extricatio autem in facili eſt, ſcil. corneæ portionem parva ſpatula leniter elevando. Naturales etiam oculi motus reductionem quandoque efficiunt. Tempore curationis, iris per orifici-

um

um adhuc prolabi poteſt, et ſtaphyloma creare, huic facile occurritur a validioribus tantum faſciis cavendo; frequens enim hoc nimiæ preſſuræ eſt effectus.

Hi ſunt caſus præcipui qui in operatione nova contingere poſſunt; ſed nullius eſſe momenti præ illis qui methodum vulgarem nonnunquam comitantur, credo equidem in confeſſo erit, modo judicio ſit perpenſa quæ ſequitur collatio.

1*mo*, In hâc methodo expectanda maturitas eſt, ſed ſæpius accidit, ut ne per totam vitam Cataractæ idoneam adipiſcantur conſiſtentiam. In illâ, nulla expectata maturitate, in initio extrahi poſſunt.

2*do*, In depreſſione, Cataracta etſi ſolida, etiam diu poſt operationem optime peractam, rurſus aſcendere poteſt, quod frequenter evenire confitendum eſt. Poſt extractionem vero nunquam aſcenſuram certo certius eſt.

3*tio*,

3*tio*, Methodo vulgari, Cataracta vel omnino, vel ex parte, in cameram oculi anteriorem per pupillam nonnunquam pertranſit, quod aliquando, operatio dum agitur ipſa, aliquando multis præteritis annis, accidiſſe cognoſcitur: et cum cornea clauſa eſt, alienum corpus in camera anteriori habitat, ubi remora ejus vel moleſtiſſima facta, vel viſui obſtans (ut leviſſime dicam) in cauſa eſt iteratam ut requirat operationem. Methodo autem nova, lens per pupillam ex oculo penitus eliminatur.

4*to*, Si manui ſubjiceretur Cataracta mollis, irritam fore operationem vulgarem veriſimile videtur, fragmentis et dilaceratis lentis vel capſulæ partibus pupillam adhuc obturantibus; novâ autem, mollis tam facili negotio quam ſolida extrahi queat.

5*to*, In depreſſione, humorem vitreum pererrari, repetitis acus motionibus perturbari, ejuſque cellulas vulnerari, neceſſum eſt; quod res eſt maximi certe momenti, ſed inevitabilis

lis eſt: in extractione, hoc contingere non poteſt.

6*to*, CATARACTA, quamcunque in oculi partem detruſa ſit, veluti corpus alienum agit, ergo quid vetat quin mali effectus preſſuram illius ſequantur?

7*to*, BRISSEUS, exempla Cataractarum, etiam poſt depoſitionem felicem, liqueſcentium atque alteros oculi humores obfuſcantium, profert.

8*vo*, SUCCESSUS denique plus ad rem dicit quam quodvis aliud. Nam inter 206 operationes a * DAVIELIO trium annorum ſpatio perfectas, 182 feliciter cederunt: qui major eſſe videtur ſucceſſus, quam unquam methodum alteram comitatus eſt.

* Mem. de l' Acad. de Cheir. T. 5. p. 369. 8vo edit.

F I N I S.